

III.7.1.

[24v] Suprascriptis anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, inditione septima, die iovis, septimo mensis maii^a. Cum hoc sit quod mandato magnificorum^b dominorum Magistrorum duchalium intratarum extraordinariarum Camereque possessionum^c facte fuerunt cride pro bonis que fuerunt domini Sigerii de Galaranis, ut dicitur duchali Camere confischatis, continentes in effectum, ut dicitur, quod habentes seu habere pretendentes ius^d in et super eius bonis comparere deberent etc., ut dare in scriptis iura sua etc., ut in eis cridis continetur; et Iohannes Franciscus etatis annorum decemseptem, Iohannes Galeaz etatis annorum quatuordecim vel circha, et Cecilia etatis annorum XV vel circha, fratres et soror de Galaranis, et fratres et soror ipsius domini Sigerii habeant necesse contradicere ipsis cridis et iura sua in scriptis dare prout infra careantque curatore et diffensore legiptimo, ut dicunt, taliter quod est necesse providere eis minoribus de uno curatore saltem spetiali ut infra. Modo autem nobilis vir dominus Ambrosius de Brachis consul iustitie Camere civitatis omniumque fagiarum totius civitatis et duchatus Mediolani, pro tribunali sedens super quodam bancho sito in^e strata publica iusta monasterium dominarum Sancti Novi porte Nove parochie Sancti Bartolomei intus Mediolani; <...> [25r] <...> ad petitionem, instantiam et requisitionem^f dictorum Iohannis Francisci et Iohannis Galeaz, fratrum de Galaranis, filiorum quondam magnifici domini Fazii, ex dominis Magistris duchalium intratarum ordinariarum porte Orientalis parochie Sancti Simplizianini Mediolani, et Cecilie de Galaranis, filie quondam dicti domini Fazii dicte porte Nove parochie Sancti Bartolomei intus Mediolani, etatis ut supra, ibi presentium <...> dedit <...> Antonium de Marliano, filium quondam domini Iohannis, porte Orientalis parochie Sancti Stephani^g in Brolio foris Mediolani, ibi presentem <...> in curatorem spetialem, procuratorem spetialem dictis fratribus et sorori de Galaranis ibi presentibus <...> spetialiter ad procuratorio nomine dictorum minorum debite refferendo, et unacum eis adheundum hereditatem et bona relicta per dictum quondam dominum Fatium in eius hereditate et bonis pro portionibus suis secundum formam testamenti conditi per dictum quondam dominum Fatium traditum per me notarium infrascriptum die XXVIII novembris MCCCC octuagesimo, seu anno et die in eo contentis, nec non etiam hereditatem et bona relicta per nunc quondam Ludovichum, filium quondam et heredem pro portione sua dicti condam domini Fazii <...>

Item ad dicto curatorio nomine quo supra et ut supra comparendum coram magnificis dominis Magistris duchalium intratarum extraordinariorum causa et occaxione dictarum cridarum etc. <...> [25v] et dicendum ut infra videlicet quod dicta bona dictis Iohanni Francisco et Iohanni Galeaz minoribus pertinent et spectant pro duabus ex quatuor partibus <...>

[26r] Item ad dicto curatorio nomine dicte Cecilie dandum in scriptis et dicendum ipsa bona confischata ut supra, tamquam bona relicta per dictum nunc quondam dominum Fatium in eius hereditate et bonis esse obligata et ypothecata dicte Cecilie pro quinta parte illorum duchatorum mille, aut monete equivalentis ad computum librarum quatuor imperialium pro duchato, et etiam pro quinta parte scherpe condecantis usque ad summam [26v] aliorum duchatorum centum ut supra, per dictum nunc quondam dominum Fatium legatorum dicte Cecilie tempore nubilis etatis ut continetur in testamento dicti domini Fatii

<Seguono l'aditio hereditatis e la procura legale per il ricorso ai magistrati ducali>

[28v] Que omnia fecit et facit dicta domina, in presentia et cum parabula consensus et licentia domini Federici de Gallaranis, filii quondam dicti domini Fatii, dictarum porte Horizontalis, parochie Sancti Simplizianini Mediolani, eius fratris et agnatis, ibi presentis volentis et consentientis.

[29r] Actum in dicta strata publica iusta dictum monasterium dominarum Sancti Novi situm in porta Nova parochia Sancti Bartolomei intus Mediolani <...>.

¹ Segue in vesperis depennato. - ^b Segue et ex depennato. - ^c Segue pro depennato. - ^d Segue it depennato. - ^e Segue contrata depennato. - ^f Seguono tre parole depennate. - ^g Stephani in interlinea.